



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Tartaro-Sinica nova

Rougemont, François de

Lovanii, 1673

Ad Lectorem Benevolum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11829



A D
LECTOREM
BENEVOLUM.

AMICE LECTOR,

UT de *Historiæ hujus veritate*
tantò sis securior, quò pluribus
apud te testimoniis firmabitur,
hæc etiam te latere non volui, literas à
P. Thoma vander Elst *Bruxellensi*, datas
fuisse *Ulyssipone* 12. *Februarii* 1673. ex in-
structione P. Prosperi *Intorcetta Siculi* è
Provincia Quantoniensi Sinarum anno
1669. missi *Romam Procuratoris*, cui se
adjunxit P. Thomas, ut cum illo ad *Sinas*
tendat, rem *Christianam* illîc curaturus.
Istis itaque literis & alio scripto manu ip-
sius P. Prosperi *Procuratoris Sinensis Mis-*
sionis iis incluso hoc denuò affirmatur, nimi-
rùm omnia in hâc *Historiâ* contexta, de no-
vo confirmata fuisse aliis testimoniis litera-
rum scriptarum in *Sinis* Mense *Novem-*
bri 1670. à P. Adriano *Grelon Gallo*, qui
& *Gallico Idiomate* justum *Volumen* edidit
de hâc eâdem *Historiâ* & *Fidei Christianæ*
inter *Sinas* adversitatibus ac ærumnis, &

AD LECTOREM.

à P. Emanuële Georgio Lusitano, istius
Fidei illic propagatoribus, quas literas P.
Prosper non ita diu antè acceperat, & qui-
bus similiter suam Relationem compendia-
riam de statu rerum in Sina Eminentissimis
Cardinalibus Sacræ Congregationis de
propugnandâ fide dedicatam, & anno supe-
riori typis editam communierat. Edidit &
P. Joannes Gabiani Pedemontanus eas-
dem res Sinicas majori Volumine & Lati-
no Sermonè. Rogo, ut hunc laborem no-
strum Boni consulas, & me, & Vineam
istam, Supremo Patri-Familias tuis preci-
bus sæpè ad ejus Benedictiones multiplices
de Cælo exorandas, Suppliciter præsentet:
ut omnes vitam æternam adipiscantur, &
cognoscant solum verum Deum, & Quem
misit, JESUM CHRISTUM.

Errata Libri correctâ invenientur
pag. 328.

A P.